

www.e-rara.ch

Corpus Juris Canonici Academicum

Freiesleben, Christoph Heinrich

Coloniae Munatianæ, M DCC LXXXIII [1783]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-82301>

Ea, de quibus lectorem principio visum est admonere, haec sunt:

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EA, DE QUIBUS
LECTOREM PRINCIPIO VISUM

EST ADMONERE, HÆC SUNT:

IN Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum magistra, solitos esse affer-
vari Conciliorum canones, & Pontificum decreta, ac cæteris Ecclesiis
communicari, planè compertum est.

Atque in usu præcipuè videtur fuisse collectio illa, quam Nicol.
Papa in *c. si Romanorum*, *dist. 19.* Codicem canonum nominat: in quo
continebantur canones & regulæ illæ, quæ recensentur à Leone IV.
cap. de libellis, *dist. 20.* Hujus codicis tria manuscripta exemplaria Romæ
habentur in Vaticana Bibliotheca. Extat etiam impressus Maguntiae An-
no Salutis M. D. XXV. Repertus est autem in vetustissimo Cardinalis
Vercellensis codice, Cresconii ad Episcopum Liberinum quidam quasi no-
mocanon: in quo, cum pluribus causarum titulis propositis, exponatur
deinde, quibus Synodorum, ac Decretalium Epistolarum locis illæ
tractentur, capita capitibus Maguntini codicis, & numeri numeris opti-
mè respondent. Quæ quidem à Cresconio adhibita diligentia fatis indi-
cat, frequentissimum fuisse hujus collectionis usum: & hæc ea est, quæ
in notationibus, quæ nunc eduntur, absolutè Codex Canonum voca-
tur.

Cæterum inter privatos collectores, qui multò plura congerere
studuerunt, perantiquus est *Isidorus*: cujus collectio protenditur à cano-
nibus Apostolorum usque ad Concilium Hispalense secundum: habetur-
que in duobus codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, & uno monasterii Do-
minicani sanctæ Mariæ supra Minervam: extat autem impressa in editio-
nibus Conciliorum, in antiquioribus quidem purior, in recentioribus
autem multis aliis Conciliis, scriptisque admixta. *Isidorus* hunc *Igmarus*
Archiepiscopus Rhemenfis in libro de Synodis, celeberrimum illum Hispa-
lensem fuisse affirmat, à quo, testatur etiam *Tritemius*, librum Decreto-
rum esse conscriptum: ac certè multa verba, quæ in Præfatione hujus col-
lectionis leguntur, sunt in libro quinto Etymologiarum. In codice autem
Dominicanæ Bibliothecæ initio Præfationis ita legitur: *Isidorus mercator ser-
vus Christi, lectori conservo suo, &c.* nec multò secus in Vaticanis: quo
loco in impressis est, *Isidorus peccator servus Christi, &c.*

Secutus deinde est (ut de iis primùm, quorum opera typis ex-
cusa sunt, loquamur) *Burchardus*, Wormaciensis Episcopus, Othonis III,
& Henrici II Bavari Imperatorum ætate: qui non ordinem temporum
& provinciarum, ut *Isidorus*, sed rerum & causarum sibi sequendum pu-
tavit.

Iisdem vestigiis institit non ita multò post *Ivo*, Carnotensis Epi-
scopus: sed exortà interim Berengarii hæresi, multa ad illam confutan-
dam

dam pertinentia addidit, ac multa etiam prætereà ex Pandectis & Codice: dum de Laicorum quoque officiis sibi agendum putat: quod Burchardo minùs necessarium visum fuerat.

Extant autem duo volumina, Ivonis nomine inscripta, eandemque habentia præfationem: quorum unum, quod *Pannormia*, alterius, quod absolutè *Decretum*, inscribitur, quasi epitome quædam est. Verùm in hoc eodem campo alii etiam gravissimi viri (quorum libri partim in publicis, partim in privatis Bibliothecis manuscripti habentur) *Cresconius*, *Anselmus*, *Deusdedit Cardinalis*, *Gregorius Presbyter*, qui volumen suum *Polycarpus* inscripsit, aliique nonnulli præclare se exercuerunt, suamque operam probaverunt. Novissimus istorum omnium, præter auctorem Pannormiæ (nam is recentior fortasse est) *Gratianus*, Monachus Benedictinus, non tantùm decretis colligendis (quod superiores fecerant) operam dedit: sed Ivonis fortasse Præfatione excitatus, eò potissimum incubuit, ut certis quæstionibus propositis, quid in utramque partem ex Canonibus, qui inter se nonnunquam pugnare videbantur, dici posset, ipse & afferret, & explicaret: omninoque eorum varietatem, quæ speciem dissensionis habebat, ad concordiam revocaret. Cæterùm in longo ac perdifficili opere multa à parùm æquis hominibus exagitabantur; nonnulla pii etiam & verecundi interdum desiderabant.

Quamobrem ne hujusce utilissimi & gravissimi Codicis vacillaret auctoritas, placuit primùm Pio IV. ac subinde Pio V. & Gregorio XIII. (apud quem etiam hujus perfecti operis, quemadmodum & aliarum maximarum rerum, laus fuit) ut illi corrigendo summa opera daretur, mendæ librariorum tollerentur: si qua etiam in re Gratianus, ut homo, minùs vidisset, modestè notaretur, ipsaque omninò capita suis auctoribus quàm diligentissimè restituerentur. Itaque & Romæ Vaticana Bibliotheca, & monasterii Dominicani supra Minervam, aliæque non paucae excussæ sunt, & ex aliis urbibus atque regionibus invitati doctissimi homines, qui idem facerent, & si quid invenissent, quod ad hanc rem pertineret, pro sua pietate libenter communicarent, atque ad Pontificem mitterent. Quâ diligentia illud factum est, ut cùm jam magnam partem suum unicuique tributum sit, ac propterea intelligi plerunque possit, quæ Synodorum generalium, quæ summorum Pontificum, quæ provincialium Conciliorum, quæ Patrum decreta ac sententiæ, atque inter hæc, quæ sanctæ Romanæ sedis probata sint, quæ minimè, vix quisquam errare, atque incerta pro certis sequi, certa verò pro incertis suspecta habere posthac queat.

Quod ad citationes auctorum pertinet, ubi error evidens erat, aut nonnulla Gratiani exemplaria cum veriore, atque ab aliis collectoribus allatâ citatione consentiebant, sublati falsis inscriptionibus veræ sunt restitutæ: ubi verò, quamvis caput apud alium auctorem esset inventum, fieri tamen poterat, ut illius quoque esset, quem

Gratianus citaret (sunt enim haud rarò decreta tralatitia, & sententiæ similes in bonis auctoribus) retentâ Gratiani citatione, satis visum est locum, ubi hodiè habeatur, indicare. Et quoniam interdum aut capitis aliqua quidem pars illius auctoris est, qui citatur, aliqua verò minimè, aut verba valde sunt mutata: id quoque est indicatum, adscriptumque præterea in margine, quo loco idem caput in glossâ Bibliorum ordinariâ, in libris Sententiarum, & apud cæteros collectores habeatur, eos præsertim, qui in hujus operis emendatione magno usui fuerunt. Animadversum verò est, multa olim fuisse (quorum nonnulla hodiè etiam habentur) homiliarum ex variis auctoribus collectarum volumina: quibus homiliis nomen auctoris aut non esset præpositum, aut etiam mutatum; quod Decretorum collectoribus, qui fontes adire in illa librorum penuria plerumque non poterant, errandi interdum dederit occasionem. Sæpè etiam Gratianus multas Patrum sententias simul colligit, atque in unum caput concludit (quamvis in vulgatis Codicibus plerumque in diversa capita sint distractæ, sed ferè sine Rubrica) idque cum facit, non ipsa prorsus auctorum verba affert, sed arbitrato suo mutat, addit, imminuit, summam complectitur: quod etiam Burchardus & Ivo faciunt, cum citant hoc modo, *ex dictis Augustini, ex dictis Hieronymi*.

In emendando textu, primùm initia capitum ob usitatam Doctorum citationes non sunt mutata: sed ubi ab originali discrepabant, in margine aut in notatione est indicata germana lectio. Deinde hæc glossæ ipsius habita ratio est, ut nihil in textu sit mutatum, ubi mutatio ipsa impeditura erat, quò minus, quid sibi auctor glossæ voluisset, animadverti posset: sed eodem modo aut in margine, aut in notatione mendum est indicatum. Ubi verò hæc non obstabant, hæc ferè servata corrigendi ratio est: ut, si videretur voluisse Gratianus auctorum, quos citaret, ipsa prorsus verba referre, ea ex ipso originali emendarentur, & interdum etiam, non levi propositâ utilitate, aliqua adderentur: nisi sicubi vulgata lectio visa est melior: nam tunc illâ retentâ notatum est, quomodo originale ipsum habeat. Sin autem Gratianus non eadem prorsus verba afferre voluerat, sed aut in summam quandam ipse redigere, aut ab aliis redacta, ut ab auctore glossæ ordinariæ, ab Ivone & aliis collectoribus referre: tunc nihil ferè emendatum vel additum est, nisi fortè Patris illius, unde collector acceperat, restituta lectio magnam afferre visa esset utilitatem: multisque locis id notatum est, & verba ipsius originalis allata, ut Lector identidem in memoriam hujus adhibitæ cautionis revocaretur, & labore ad originalia adeundi levaretur. Quòd si idem caput ex pluribus vicinis alicujus Patris locis confectum est (nam quæ multum distabant, satis plerumque fuit in margine indicare) adjectæ sunt in textu particulæ illæ *& supra*, *& infra*: sc. ubi seriem & nexum collectionis impedituræ non erant: ubi

ubi verò Gratianus ipse loquitur, ex manuscriptis hujus libri exemplaribus pura germanaque lectio est restituta.

In Codice Canonum capita, quæ ex Græcis Synodis recitantur, sunt à Dionysio Exiguo in linguam Latinam conversa: cujus Præfatio manuscriptis ipsius codicis exemplaribus præposita legitur. Isidorus autem partim hanc ipsam Dionysii versionem, quanquam rarò, partim fortasse priscam illam, cujus mentionem in præfatione sua Dionysius facit, usus est aut integris, aut aliquantulum immutatis: partim etiam aliis, quæ tunc, ut ipsemet Isidorus testatur, extabant, hodiè, præterquam apud istos Decretorum collectores, non extant. Quocirca mirandum magnoperè non est, si cæteri collectores, & omnium ferè postremus Gratianus, qui & Codicem illum Canonum, & Isidori collectionem, & alias etiam habebant, eundem canonem non semper ex eadem versione recitent. Quade re sæpè in notationibus Lector est admonitus, & ubi necessarium visum est, Græca canonis verba cum versione novâ sunt allata: idemque in cæteris Patrum Græcorum sententiis factum est.

De nomine *Paleæ* sunt variae doctorum hominum sententiæ. Multi ea capita, in quibus res inanes ac leves continerentur, hoc nomine appellari censuerunt: alii quasi τὰ παλαιά, id est, antiqua: alii quasi additiones quasdam, derivatâ, aut potius depravatâ voce ab adverbio πάλιν, id est, rursus, quo scriptores etiam Latini tempore Gratiani uterentur. Verum Joannes Andreae in additionibus ad Speculatorem, titulo de Disputationibus & allegationibus prope finem (quem Imola in Rubrica de verborum obligationibus, Alexandrinus in proœmio Decretalium, Jason in Rubrica tituli de Actionibus, & alii sunt secuti) putat, quendam Protapaleam, quem Jason addit Cardinalem fuisse, collectioni Gratiani capita hæc adjunxisse. Atque ut in re tam incertâ aliquid elici conjecturâ possit, exponetur, quid in collatis exemplaribus observatum fuerit. In tribus, quæ sunt antiquissima, & videntur scripta paulò post Gratiani ætatem, paucissima ex hujusmodi capitibus habentur. In uno valdè emendato sunt apposita in margine sine ulla nota, sed non omnia, quæ in impressis: quamvis vicissim in illo additiones aliquæ sint, quæ in his non habentur. In alio literis perantiquis descripto *Paleæ* ipsæ recentiori scripturâ toti volumini præponuntur. In cæteris habentur aut omnes, aut pleræque: & partim quidem cum *Paleæ* nomine, partim verò sine ullo à cæteris capitibus discrimine. Ex qua observatione illud videtur posse colligi, has *Paleas* esse additiones, non eodem tempore factas, ad primam collectionem Gratiani, in margine primum adscriptas, ac nonnullas fortasse ab ipsomet Gratiano (ut fit) inter componendum aut relegendum: quas deinde librariorum quidam omiserint, quidam in contextu posuerint, interdum conjunctè cum prioribus capitibus, interdum cum aliquo discrimine. Falsam verò esse illorum

illorum opinionem, qui eas contemnendas putant, ex eo constat, quòd multæ & in Decretalibus, & apud vetustiores Gratiani collectores habentur: quod suis locis indicabitur.

In plerisque vetustis hujus collectionis exemplaribus hæc tanquam inscriptio rubris literis posita est: *Concordantia discordantium canonum*: additâ in quibusdam dictione, *Incipit*, sine ulla Gratiani mentione. Verùm in Vaticano illo vetustissimo, cui voluminis ipsius initio recentiori scripturâ Paleas esse præpositas, dictum est, ante ipsas Paleas est hic titulus, *Decretum Gratiani Monachi sancti Felicis Bononiensis, ordinis sancti Benedicti, compilatum in dicto monasterio, Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, tempore Eugenii Papæ tertii*; in aliis verò duobus Codicibus, in extremo est, *Explicit Decretum compilatum à Gratiano Monacho monasterii sancti Felicis de Bononia*. In Chronico, quod inscribitur, *Pomœrium Ecclesiæ Ravennatis*, qui liber in Bibliotheca Vaticana servatur, hæc de Gratiano leguntur, *Anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo primo, Gratianus Monachus de Classa civitate Tusciæ natus, Decretum composuit apud Bononiam in monasterio sancti Felicis*. Idem testatur Hugutio, vetustissimus hujus Codicis interpres, secundâ, quæstione sextâ, cap. post appellationem. & Vincentius in libro Historiarum bis, semel libro vigesimo tertio, capit. trigesimo primo, loquens de Isidoro: & iterùm libro vigesimo quinto, cap. octuagesimo quarto, agens de Ivone, & aliis decretorum collectoribus: & sanctus Antonius part. tertiâ histor. tit. decimo octavo, cap. sexto. Tritemius verò in libro de Scriptorib. Ecclesiasticis, Gratianum agnoscit hujus collectionis autorem: itemque in libro secundo de Viris illustribus ordinis sancti Benedicti: quo tamen loco addit (ipsam fortasse Operis inceptionem spectans) fuisse ab eo compositum Anno Domini millesimo centesimo vigesimo septimo. Hanc collectionem Innocentius tertius, in Epistola ad Archiepiscopum Compostellanum, vocat corpus Decretorum. Ob has igitur auctoritates, & receptam apud omnes opinionem, in prima hujus voluminis pagina præpositus est titulus nomine Gratiani.

Quod ad glossas pertinet, quæ pios & catholicos auctores habuerunt, quæ in illis errata paulò majoris ponderis pro humani ingenii infirmitate obreperunt, ea in margine sunt notata, & quid catholicè sentiendum sit, ostensum est. Hæc autem notæ, quibus asteriscus affixus est, necessariò posthac in omnibus impressionibus apponendæ erunt.